

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois.

Appendix, Lancé Nr. 64

Notum fore volumus tam futuris quam presentibus quod Hugo de Cuscheri miles quidam, cum egrotaret apud Vindocinum castrum infirmitate qua et mortuus est, consulens tam anime sue quam et uxoris sue Rosthe nomine, que et Agnes vocabatur, ipsa concedente, dedit Deo et Beato Martino et nobis Maioris Monasterii monachis, habendos VI sol. et IIII den. de censu, quos ei solebat reddere per singulos annos prior obedientie Lanciaci Concesserunt fratres ipsius Hugonis, id est Ingelbaldus Guarenioth et Rainaldus Cheroth et Frogerius cognomento verumdicit, nepotes quoque eius, id est Ernaldus qui cognominabatur Trahit-foras et Galterius et Acharias. Hoc audierunt Bartholomeus filius Goffredi-Pagani et fratres eiusCum ergo supradictus Hugo eadem infirmitate paulo post obiisset, devotissima prefata uxor eius fecit corpus deferri sepeliendum ad hoc Maius Monasterium nostrum; ipsa etiam, cum pluribus ex suis, corpus usque ad sepulturam prosecuta, venitque in capitulum nostrum, una cum supra nominatis fratribus et nepotibus defuncti viri sui, tam illa quam et illi, sed et Herveus de Villarebla cognatus defuncti et Achardus vicarius venerunt cum ea et iterum concesserunt, et donum super maius altare per quendam baculum posuerunt, et suscepti sunt omnes in societatem et participationem totius beneficii nostri. Nos vero finito capitulo et missis cantatis honorifice sepelevimus corpus. Actum anno ab incarnatione Domini MCXX, presidente nobis domno abbate Willelmo, anno XVI, procurante obedientia Lanciaci domno Alberto, monachonostro.

Quo facto, evolutis aliquot diebus, Paganus Galechisius, de quo predictus Hugo censum illum tenuerat, cepit nobis calumniari. De quo tandem censu, mediante Bartholomeo de Vindocino, Albertus eiusdem obedientiae prior, hanc cum eo concordiam fecit. Dedit namque ei LX sol. et dimisit omnem illam calumniam, censum quoque illum libere concessit et donum inde super altare Stae Mariae de Lanciaco posuit, et se ab omni calumnia nobis adquietare promisit; cuius rei se fideiussorem cum Bartholomeo de Vindocino dedit, sub testibus istis: Matheo – Gundragio cum filio suo – Rainaldo Cheroth, serviente – Johanne Berta – Harduino – Salomone et fratre eius Ogerio de Alodiis – De nostris: Benedicto maiore – Hilperito et filiis eius Popardo et Judicael – Rivollonio – Bersaiaio – Herveo cellarario. Quod etiam calumniatus est nobis Ulricus, frater Pagani Galecherii; nos vero, pace et concordia studentes, XXX solidos illi in caritate dedimus, qui calumniam dimisit, et donum illud, sicut antea factum fuerat, libere in perpetuum concessit. Huius rei testes sunt: Gauzfredus filius comitis Vindocini – Bartholomeus et Willelmus fratres eius – Jeremias de Turre – Archembaudus prepositus – Petrus Mathea. De nostris: Herveus de Vindocino – Judicaria de Lanciaco.